

N^o 10
S · D · N · PAVLI


DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE III.

BVLLA

SACRI OECVMENICI CONCILII

TRIDENTI CELEBRANDI.



M · D · XLII.

S. D. N. PAVLI

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTEN LENOX TILDEN FOUNDATION

1897

1897

1897

[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

1897

PAVLVS EPISCO

PVS SERVVS SERVORVM DEI

ad futuram rei memoriam.



INITIO nostri huius Pōtificatus, quem nō ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem Dei omnipotentis prouidentia nobis commisit: cernentes iam tū in quas perturbationes temporum, quōt que incommoda rerum fere omnium nostra pastoralis sollicitudo, & uigilia esset uocata, cupiebamus quidem mederi Christianæ Reip^a malis, quibus illa iandudū uexata, & propemodum oppressa est. Sed ipsi etiam, ut homines circūdati infirmitate, ad tantum onus tollendum impares uires nostras esse sentiebamus. Nam cum pace opus esse intelligeremus ad liberandam, & conseruandam à plurimis impendentibus periculis Remp^a omnia inuenimus odiis, & dissensionibus plena, dissentiētibus præsertim Principibus iis inter se, quibus summa rerū péne omnis à Deo permisa est. Cum unum ouile, & unum pastorem dominici esse gregis ad integritatem Christianæ Religionis, & ad cœlestiū bonorum spem in nobis confirmandam, necessarium duceremus, schismatis diffidiis, hæresibus erat christiani nominis diuulsa iam péne, & lacerata unitas. Cum tutam, atq; munitam ab infidelium armis, atq; insidiis Remp^a optaremus, nostris eratis, nostrā q; cunctorum culpa, Dei uidelicet ira, peccatis nostris imminente Rhodus fuerat amissa, Vngaria uexata, conceptum, & meditatum contra Italiam, contra que Aus

striam, & Illyricum, terra, mari que bellum, cum impius,
& immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret,
nostrorum qz inter se odia, & dissensiones, suam bene ge-
rendæ rei occasionem duceret. Igitur (ut dicebamus) in tan-
ta hæresum, dissensionum, bellorum qz tempestate, tantis
qz excitatis fluctibus, cum essemus ad moderandam, & gu-
bernandam Petri nauiculam uocati, nec uiribus ipsi no-
stris satis fideremus, primum coniecimus in domino cogi-
tatus nostros, ut ipse nos nutriret, animum qz nostrum fir-
mitate, & robore, mentem consilio, sapientiâ que instrue-
ret. Deinde animo repetetes maiores nostros sapientia ad-
mirabili, & sanctitate præditos sæpe in summis Christianæ
Reip. periculis remedium optimū, atqz opportunissimum
œcumenica Concilia, & Episcoporum generales conuen-
tus adhibuisse: ipsi quoqz animum ad generale habendum
Concilium adiecimus: exquisitis qz Principum sententiis,
quorum nobis uidebatur utilis in primis, & opportuna ad
hanc rem esse consensus, cum eos tunc nō alienos ab hoc
tam sancto opere inuenissemus, œcumenicum Concilium
& generale: in omnium Episcoporum, aliorum qz patrum,
ad quos pertineret, conuentum in ciuitate Mantuæ indixi-
mus, Anno incarnationis Domini (sicut literis, & monu-
mentis nostris testatum est) M D XXXVII, Pontifica-
tus nostri tertio ad X cal. Iunii inchoandum, spem prope-
certam habentes fore, ut cum illic in nomine domini esse-
mus cōgregati, ipse sicut promisit dominus, in medio no-
strū affuturus, & bonitate, ac misericordia sua omnes tem-
porum procellas, omniâ qz pericula spiritu oris sui facile de-
pulsurus esset. Sed ut semper insidiatur piis actionibus hu-
mani generis hostis, primum contra omnem spem, & ex-
pectationem

petitionem nostram denegata fuit nobis Mantuana Ciuitas, nisi aliquas conditiones subiremus ab institutis maiorum nostrorum, & conditione temporum, nostrá que, ac huius sanctæ Sedis, ac nominis ecclesiastici dignitate, libertatē q̄ prorsus alienas, quas in aliis nostris literis expressimus. Quapropter alium inuenire locum, aliám q̄ deligere ciuitatem necesse habuimus, quæ cum nō statim nobis occurreret idonea, & apta, ad sequentes calendas Nouembris prorogare Concilii celebrationem fuimus coacti. Interim sæuus, & perpetuus hostis noster Turca ingēti classe Italiam adortus, aliquot oppida in littoribus Apuliæ cepit, uastauit, diripuit, prædas hominum abegit. Nos in maximo timore, & periculo omnium muniendis littoribus nostris, finitimis q̄ auxilio iuuandis fuimus occupati. Nec tamen interea desistimus cōsulere, & hortari christianos Principes, ut de idoneo ad habendum Conciliū loco, quid sentirent, nobis exponerent, quorum cum essent incertæ, uariæ que sententiæ, tempus q̄ diutius, quàm erat opus, uideretur extrahi, nos optimo animo, atq̄, ut arbitramur, etiam consilio, Vicentiam elegimus, Urbem copiosam, & Venetorum qui eam nobis concedebant, uirtute, auctoritate, potentia, cum aditum patentem, tum stationem omnibus liberam, atque tutam in primis in se habentem. Sed cum iam tempus longius progressum esset, nouæ que urbis electionem omnibus significari conueniret, iam que calendæ Nouembris appetētes facultatem huius diuulgationis excluderent, hyems q̄ esset propinqua: rursus altera prorogatione tempus Concilii differre in proximum sequens uer, Maii que futuras calendas compulsi fuimus. Qua re famiter constituta, atque decreta, cum & nos ipsos, & cætera omnia ad

cum bene agendum Deo iuuante, celebrandum que con-
uentum pararemus, plurimum reputantes interesse cum
celebrationis Concilii, tum uniuersæ Christianæ Reipubli-
cæ christianos Principes pace inter se, & concordia consen-
tire. Charissimos in Christo filios nostros Carolum Ro-
man. Imperatorem semper Augustū, & christianissimum
Regem Franciscum duo præcipua christiani nominis firma-
menta, atq; subsidia orare, atq; obsecrare institimus, ut ad
colloquium inter se, & nobiscum unà conuenirent, quo-
rum quidem apud utrunq; literis, Nunciis, & à latere no-
stro missis ex uenerabilium fratrum nostrorū numero Le-
gatis sæpissime egeramus, ut ex similitate, & diffidiis ambo
in unum fœdus, & piam amicitiam uellent conuenire, la-
bentibus q; succurrere christianis rebus, quarum seruanda-
rum cum esset illis potestas ab Deo præcipue tributa, si id
non agerent, & ad commune christianorum bonum sua
consilia non dirigerent, acris, & seuera ratio eidem Deo ab
ipsis reddēda esset. Qui aliquando precibus nostris annuen-
tes, Nicæam se contulere, quo nos quoq; longum iter, &
senili ætati nostræ uehemēter contrarium, Dei, & pacis con-
ciliandæ causa suscepimus. Neque prætermisimus interea
cum tempus Concilii præstitutum, calendæ uidelicet Maiæ
appropinquaret, tres Legatos summæ uirtutis, & auctorita-
tis à latere nostro de numero eorundem uenerabilium fra-
trum nostrorum S. R. E. Cardinalium Vicentiam mitta-
tere, qui initium Concilii facerent, Prælatos q; undiq; ue-
nientes exciperent, & ea, quæ iudicaret esse opus, agerent,
& tractarent, quoad nos ab itinere, & negotio pacis reuerfi
omnia accuratius dirigere possemus. Interim uero in illud
sanctum opus, maximè q; necessarium, tractationem uide-

licet

licet pacis inter Principes incubuimus, & quidē omni ani-
mi studio, omni pietate, ac diligentia. Testis est nobis De-
us, cuius freti clementia nosmet ipsos itineris, & uitæ peri-
culo exposuimus. Nostra testis conscientia, quæ nihil ha-
bet in hac re quidem, in quo nos arguat, aut prætermittæ,
aut nō quæsitæ ad pacificandum occasionis: Principes ipsi
testes, quos tam sæpe, tam q̄ uehementer Nunciis, literis,
Legatis, monitis, hortatu, precibus q̄ omnibus obsecraue-
ramus, ut similtates deponerent, ut societatem coirent, ut
christianæ Reip. in maximum, & propinquum iam addu-
ctæ discrimen communibus studiis, & subsidiis opitularen-
tur. Iam uero testes illæ uigiliæ, atque curæ, illi diurni, no-
cturni q̄ animi nostri labores, graués q̄ sollicitudines, quas
ob hanc rem, & causam plurimas iam suscepimus: nec ta-
men ad optatum exitum nostra consilia, & acta adhuc per-
ducta sunt. Ita enim uisum domino Deo est, quē tamen
non desperamus aliquando optata nostra benignius respec-
turum: ipsi quidem, quantum in nobis fuit, nihil quod
esset nostro pastoralis officio debitum, in hac re omisimus.
Quòd si qui sunt, qui actiones pacis nostras in aliam inter-
pretentur partem, dolemus quidem, sed tamen in dolore
nostro gratias Deo omnipotenti agimus, qui ad exēplum,
& doctrinā patientiæ nostræ suos uoluit Apostolos haberi
dignos, qui pro nomine Iesu, qui pax nostra est, contume-
liam paterentur. Verum in illo congressu, colloquiō q̄ no-
stro, quod Nicææ habitum est, & si peccatis nostris impe-
dientibus inter duos Principes uera, & perpetua pax non
potuit confici, induciæ tamen decennales factæ sunt, quas
modius celebratum iri, & deinde ex Cōciliū auctoritate per-

fici posse pacem apud Principes institimus, ut & ipsi uenirent ad Concilium, & Prælatos suos præsentés ducerent, ab sentés qz accerferent. Qui cum de utroque se excusassent, quòd & ipsis redire in regna sua tum necesse esset, & Prælatos quos secum habuissent, itinere, atqz impendiis fessos, atqz exhaustos recreari, & refici oporteret, nos hortati sunt ut aliam quoqz prorogationem temporis habendi Concilii decerneremus. Qua in re concedēda cum essemus aliquantum difficiles, literas interim à Legatis nostris, qui Vicētiæ erant, accepimus, transacto iam, & longius præterito Concilii incundi die, unum uix, aut alterum ex externis nationibus Prælatum Vicentiam se contulisse. Quo nuncio accepto cum uideremus eo tēpore nulla iam ratione haberi Concilium posse, ipsis Principibus concessimus; ut differretur tempus agendi Concilii usqz ad sanctum Pascha, diē qz festū futuræ dominicæ resurrectionis. Cuius nostri præcepti, expectationis qz decretæ, literæ Genuæ Anno incarnationis Domini M D XXXVIII, quarto calen. Iulii factæ, publicatæ qz sunt: atqz hanc dilationem eo propensius fecimus, quòd pollicitus est nobis uterqz Princeps Legatos suos Romā ad nos se missurum, ut ea, quæ ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Nicææ ob breuitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodius coram nobis agerentur, eò tractarētur. Et ob hanc rationem etiam à nobis ambo petierunt, ut hæc pacificationis procuratio Concilii celebrationi præponeretur, cum ipsum Concilium pace facta, multo deinde utilius, & salutarius Christianæ Reip. futurum esset. Semper enim hæc pacis spes nobis iniecta, Principum nos uolūtatibus assentiri hortata est. Quam spem uehementer auxit post discessum à Nicæa nostrum

nostrum ipsorum duorum Principum inter se beneuola,
amicá qz congressio, quæ maxima nostra cum lætitia à no-
bis intellecta, confirmauit nos in bona spe, ut tandem ali-
quando nostras preces apud Deum exauditas, & uota pacis
accepta esse crederemus. Hanc igitur pacis conclusionem
cum & expectaremus, & urgeremus, nec solum duobus
antedictis Principibus, uerum etiam charissimo in Christo
filio nostro Ferdinãdo Regi Romanorum uideretur actio-
nem Concilii (nisi pace facta) suscipi nõ oportere, cuncti qz
à nobis per literas, suos qz Oratores contenderent, ut alias
rursus temporis prorogationes faceremus, præcipue autem
instaret Serenissimus Cæsar promississe se demonstrans his,
qui à catholica unitate dissentiunt, se operam suam apud
nos interpositurũ, ut aliqua concordie ratio iniretur, quod
ante suam in Germaniam profectioem apte non posset
feri. Nos eadem semper spe pacis, & tantorum Principum
uoluntate adducti, cũ præsertim cerneremus ne ad dictum
quidem Resurrectionis festũ aliquos alios Prælatos Vicen-
tiam conuenisse, prorogationis nomen iam fugiẽtes, quod
tam sæpe frustra fuerat repetitum, celebrationem generalis
Concilii ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum su-
spendere maluimus: itá qz fecimus, & de suspẽsione huius-
modi literas ad singulos supradictorum Principum X die
Iunii M D XXXIX dedimus, sicut ex illis perspicue po-
test intelligi. Ea itaqz suspẽsione necessario per nos facta,
dum tempus illud magis idoneum à nobis, pacis qz aliqua
conclusio expectatur: quæ & dignitatẽ postea, frequentiam
qz Concilio, & Christianæ Reipub. præsentioem salutem
erat allatura: christianæ interea res in deterius quotidie pro-
lapsæ sunt. Vngaris Rege ipsorũ mortuo Turcam uocant

tibus : Ferdinando Rege bellum in eos mouente : Belgis ad defectionem à Cæsare ex parte quadam incitatis, cuius defectionis comprimendæ causa per Galliam amicissime, & cum Rege Christianissimo cõcordissime magno beneuiciæ inter eos uolütatis indicio transiens in Belgas Serenissimus Cæsar, & illinc déinde in Germaniam profectus, cõuentus Germaniæ Principū, & Ciuitatū tractandæ eius, quam dixerat, cõcordiæ causa habere cœpit. Sed cū spe pacis iam deficiente, ille quoq; modus curādæ in conuentibus, tractandæ q; concordiæ ad maiores potius discordias concitādas aptus esse uideretur, inducti fuimus ad pristinum Concilii generalis remedium, id que per Legatos nostros S. R. Ecclesiæ Cardinales ipsi Cæsari obtulimus. Quod etiam postremo, & præcipue in Ratisponensi conuentu egimus, cū illic Dilectus filius noster Gaspar tituli Sanctæ Praxedis Cardinalis Cõtarenus summa doctrina, & integritate Legatū nostrum ageret. Nam cū (id, quod ne accideret antea ueriti eramus) ex eius conuentus sententia peteretur à nobis, ut ab Ecclesiæ dissidentium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per œcumenicū Concilium illi excuterentur, & deciderentur, id que nobis ut concederemus, neque christiana, & catholica ueritas, neq; nostra, & Sedis Apostolicæ dignitas permetteret, palam potius Concilium ut quàm primum fieret proponi mandauimus. Neq; uero in alia unquam sententia, & uoluntate fuimus, quàm ut primo quoque tempore Concilium œcumenicum, & generale congregaretur. Sperabamus enim ex eo & pacem populo christiano, & christianæ Religionis integritatem posse recuperari: ueruntamen id cum bona gratia, & uoluntate christianorū Principum habere uolebamus. Quam uoluntatem dum
expectamus,

expectamus, dum obseruamus, tempus absconditum, rem
pus beneplaciti tui ò Deus. Aliquando tandem decernere
compulsi sumus omne esse tempus beneplacitū Deo, cum
de rebus sanctis, & ad christianam pietatem pertinentibus
consilia ineuntur. Quapropter uidentes, maximo quidem
animi nostri cum dolore, rem christianā quotidie in peius
ruere, Vngaria à Turcis oppressa, Germanis periclitatibus,
cæteris omnibus metu, mœroré q̄ afflictis, nullius iā Prin
cipis consensum expectare, sed tantum Dei omnipotentis
uoluntatem, & Christianæ Reip. utilitatem attēdere confi
tuimus. Itaq̄ cum Vicentiam amplius nō haberemus, cu
peremús q̄ cum uniuersæ christianorum saluti, tum germa
nicæ nationis incommodis in eligēdo per nos nouo Con
cilio habēdi loco consulere, aliquōt q̄ locis propositis ipsam
Tridentinam Ciuitatem ab ipsis desyderari uideremus, nos
etsi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse iudi
cabamus, ad eorum tamen postulationes nostram uolunta
tem paterna charitate defleximus. Itaq̄ Tridentum Ciuita
tem elegimus, qua in ciuitate œcumenicum Concilium ad
proxime uenturas cal. Nouēbris haberetur, idoneum lo
cum illum statuentes, quo ex Germania quidem, aliis que
Germaniæ finitimis nationibus facillime ex Gallia, Hispa
nia, cæteris q̄ Prouinciis remotioribus non difficiliter Epi
scopi, & Prælati conuenire possent. Dies autem Concilii ea
à nobis spectata est, quæ spaciū in se haberet & publicandi
per christianas nationes nostri huius decreti, & facultatis o
mnibus Prælati ad ueniendum tribuendæ. Quominus
autem annum tempus præfiniremus mutando Concilii
loco, sicut quibusdam constitutionibus aliàs præscriptum
est, ea res fuit in causa, quòd longius extrahi spem sanan

de aliqua in parte Christianæ Republicæ, quæ tot detri-
mētis, & calamitatibus affecta est, nolimus. Et tamen ui-
demus tempora, agnoscimus difficultates, quid sperari pos-
sit ex consiliis nostris incertum esse intelligimus. Sed quia
scriptum est: Reuela Domino uiam tuam, & spera in eo,
& ipse faciet, magis Dei clementiæ, & misericordiæ confi-
dere, quàm nostræ imbecillitati diffidere constituimus. Sæ-
pe enim fit in bonis operibus incipiendis, ut quod huma-
na consilia non ualent, diuina uirtus efficiat. Huius igitur
ipsius Dei omnipotentis patris, & filii, & spiritus sancti, ac
beatorum eius apostolorum Petri, & Pauli auctoritate, qua
nos quoq; in terris fungimur freti, atq; subnixi, de Ven-
item fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio,
& assensu, sublata, amotâ q; suspēsiōne, de qua supra com-
memoratum est, quam per præsentēs tollimus, & amoue-
mus, sacrum œcumenicum, & generale Concilium in Ci-
uitate Tridētina loco commodo, & libero, omnib; q; na-
tionibus opportuno ad calen- proximas Nouembris anni
præsentis ab Incarnatione Domini M D XLII incipien-
dum, proseguēdum, & eodem Domino adiuuāte, ad ipsius
gloriam, atq; laudem, & christiani totius populi salutem ab-
soluendum, perficiēdum q; iudicimus, annunciamus, con-
uocamus, statuimus, atque decernimus. Omnes omnibus
ex locis tam uenerabiles fratres nostros Patriarchas, Archie-
piscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, quàm alios
quoscunq; quibus iure, aut priuilegio in Conciliis genera-
libus residendi, & sententias in eo dicendi permessa potestas
est, requirentes, hortantes, admonentes, ac nihilominus eis
in ui iurisdictioni, quod nobis, & huic Sanctæ Sedi præstite-
runt, ac sanctæ uirtute obedientiæ, aliis q; sub pœnis iure,

aut

aut consuetudine in celebrationibus Cōciliorum aduersus non accedētes ferri, & proponi solitis, mandantes, arctē q̄ præcipientes ut ipsimet (nisi forte iusto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere cōpellantur) aut certe per suos legitimos Procuratores, & Nūcios sacro huic Concilio omnino adesse, & interesse debeant. Supra autem dictos Imperatorem, Regē q̄ Christianissimum, necnon cæteros Reges, Duces, Principes, quorum præsentia, si aliās unquam, hoc quidem tempore maxime, sanctissimæ Christi fidei, & christianorum omnium saluti futura est salutaris, rogantes, atq̄ obsecrantes per uiscera misericordiæ Dei, & Domini nostri Iesu Christi, cuius fidei ueritas, & religio & intus, & extra grauius iam oppugnatur, ut si saluam uolunt Christianam esse Remp. si se Domino obstrictos, & obligatos pro maximis illius erga se beneficiis intelligunt, ne deserant ipsius Dei causam, & negocium: ipsimet ad faciendi Concilii celebrationem ueniāt, in quo ipsorum pietas, atq̄ uirtus cōmuni utilitati, salutē q̄ suæ, ac cæterorum, & temporali, & æternæ plurimum est profutura. Sin autem (id quod nollemus) accedere ipsi nō poterunt, at graues saltem uiros Legatos cum auctoritate mittant, qui personam Principis sui quisque, & cum prudentia, & cum dignitate possint in Concilio referre. In primis uero ut id curent, quod ipsis facillimum est, ut ex suis cuiusq̄ Regnis, ac Provinciis Episcopi, & Prælati sine tergiuersatione, & mora ad Concilium proficiscantur. Quod maxime quidem à Prælati, Principibus q̄ Germaniæ Deum ipsum, atq̄ nos impetrare æquum est, ut cum eorum præcipue causa, ipsis q̄ cupientibus Concilium indictum sit, & in ea ciuitate indictum, quæ ab eis est desyderata non grauetur ipsi sua cun-

etorum presentia id celebrare, & ornare. Quo melius, atque commodius, quæ ad integritatē, & ueritatem christianæ Religionis, quæ ad bonorum morū reductionē, emendationēque malorum, quæ ad Christianorum inter se tam Principum, quæ populorum pacem, unitatem, concordiam que pertineant, & quæ ad repellendos impetus Barbarorum, & infidelium, quibus illi uniuersam Christianitatem obruere moluntur, sint necessaria, Deo nostris consultationibus præeunte, & lumen sapientiæ suæ, ac ueritatis mentibus nostris præferente, agi indicto sacro cœcumenico Concilio, & cōspirante omnium charitate consuli, tractari, confici, ad optatos que exitus deduci quamprimum, & quàm optime possint. Atque ut nostræ hæc literæ, & quæ in eis continentur ad notitiam cunctorum, quorum oportet, perueniant, né ue quis illorum ignorantia excusationem prætendat, cum præsertim etiam nõ ad omnes eos, quibus nominatim illæ essent intimandæ, tutus forsitan pateat accessus, uolumus, & mandamus, ut in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, & in Ecclesia Laterana cum ibi multitudo populi ad audiendam rem diuinam congregari solita est, palam clara uoce per curiæ nostræ Cursos, aut Notarios aliquos publicos legantur, lectæque in ualuis dictarum Ecclesiarum, itémque Cancellarie Apostolicæ portis, & Campi Floræ solito loco affigantur, ubi ad lectionem, & notitiam cunctorum aliquandiu expositæ pendeant. Cùmque inde amouebuntur, earum nihilominus exempla in eisdem locis remaneant affixa. Nos enim per lectionem, publicationē, affixionēque huiusmodi, omnes, & quoscunque, quos antedictæ nostræ literæ comprehendunt, post spacium duorum mensium à die litterarum publicationis, & affixionis ita uolumus obligatos esse,

esse, atq; astrictos, ac si ipsismet illæ corā lectæ, & intimatæ
essent, transumptis quidem earum, quæ manu publici No-
tarii scripta, aut subscripta, & sigillo personæ alicuius eccle-
siasticæ in dignitate constitutæ munita fuerint, ut fides cer-
ta, & indubitata habeatur, mandamus, atque decernimus.
Nulli ergo omnino hominum liceat hâc paginam nostræ
indictionis, annunciationis, conuocationis, statuti, decreti,
mandati, præcepti, & obsecrationis infringere, uel ei ausu
temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsum-
perit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Pe-
tri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis
Dominicæ M D XLII. XI Cal. Iunii, Anno VIII.

BLOSIVS.

HIER. DAND.

Cula Gurmionum et Suplicationum propage
et gratiarum Aruina ~~Deo~~

Mafico de Capresenez